ANTIQUITATES ROMANORUM DOMESTICAE

IN

JUVENALIS SATURIS ILLUSTRATAE.

PARTICULA I.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

VI. ID. MAJ. A. MDCCCLXVII HORA XII.

IN AUDITORIO MAXIMO

UNA CUM THESIBUS A SE PROPOSITIS PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GUSTAVUS LEHMANN,

SAXO-BORUSSUS.



ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

R. GROPIUS, CAND. PHIL.

R. SIEBELIST, CAND. PHIL.

HALIS SAXONUM.

[1867]

CAROLO FOERTSCH

PRAECEPTORI SUO.

Antiquitates Romanorum domesticae in Juvenalis saturis illustratae.

Antiquitates Romanorum jam ipsis temporibus, quibus illi florebant, viri docti sibi sumebant, in quibus indagandis explicandisque versarentur. Neque vero fieri potuit, quin quae viri illi scripta reliquerunt temporum iniquitate tum deperderentur tum lacunis ita depravarentur, ut cognitio nostra antiquitatum male sese haberet, si scripta ceterorum auctorum in nostra tempora servata non materiam praeberent ad lacunas illas aliqua ex parte explendas. Ac multa quidem, quae pertinent ad antiquitates, inprimis poëtae exhibent, e quibus saturarum scriptores certe non ultimum tenent locum, quippe ex quibus mores et instituta aetatis eorum peculiaria optime intelligamus. Quum enim quodvis carminum genus ex aetate scriptoris pendeat, tum satura, ut quae seculi mores corruptos castiget, omnia inde depromit argumenta. Comoediae, quae saturam affinitate quadam contingit, in priora tempora recedere licet, satura praesenti quodam impetu movetur, quum quo tempore omnia in pejus ruunt, poëta satiricus summis viribus contendat, ut ingruenti rerum omnium exitio moribus corruptis acerbe castigandis sese opponat. Cavendum vero est nobis, ne semper in verba poëtarum satiricorum juremus, quippe quum saepe res, quo majorem earum satietatem aequalibus afferant, pleniores atque uberiores describant. Quod quam verum sit, inter alios nobis est documento Juvenalis,

quem maximum praebere antiquitatum proventum satis constat inter omnes, qui versati sunt in literis Romanis. Itaque operae pretium esse duximus antiquitates, ac domesticas quidem, quarum a Juvenale, quippe satirico, inprimis habita est ratio, in saturis ejus illustratas perquirere. Antequam vero ad ipsam dissertationem aggrediamur, monendum esse videtur, quod jam supra diximus, poëtam satiricum argumenta depromere ex aetate sua, id maxime quadrare in Juvenalem, qui non, nisi aetatem suam cum prioribus seculis comparans, in ea recedit.

De matrimonio et feminarum condicione.

Quum tota familia proficiscatur e matrimonio, primo loco de eo agendum esse per se intelligitur.

Erat in more institutoque Romanorum positum, ut nuptias antecederent sponsalia,[1] quibus de nuptiarum conditionibus agebatur et pactio utrimque fiebat, id quod plane declarant VI, 25 sq:

„Conventum tamen et pactum et sponsalia nostra
Tempestate paras."

et VI, 200:

„Legitimis pactam junctamque tabellis."

i. e. instrumento et contractu matrimoniali rite et ex legibus confecto.

Factis deinde sponsalibus tabulisque obsignatis sponsus sponsae anulum,[2] qui pronubus dicebatur, in futuri mox conjugii fidem ac tamquam amoris pignus[3] dono dabat; id enim elucet ex VI, 27:

„Digito pignus fortasse dedisti."

Jam vero anuli arrae nomine dandi in omnibus pactis et emptionibus apud Romanos morem fuisse invenimus;[4]

---

[1] Cass. Dio XLVIII, 44. Cic. ad Qu. fr. II, 5.

[2] Plin. H. N. XXXIII, 1, §. 12: „Etiamnunc sponsae muneris vice ferreus anulus mittitur. Isid. Orig. XIX, 32, 4.

[3] Isid. de eccles. offic. II, 20, 8.

[4] Dig. XIV, 3, 5. §. 15: „Si institor, cum oleum vendidisset, anulum arrae nomine acceperit, neque eum reddat, dominum institoria

itaque, quod sponsae sponsalibus anulus dabatur, id repetere ausim a coemptione, quem unum e tribus modis, quibus legitimum matrimonium conjungi poterat, fuisse scimus.

Neuter vero tabulis illis erat constrictus, sed et sponso et sponsae repudium renuntiare licebat;[1] cf. VI, 200 sqq.:

„Si tibi legitimis pactam junctamque tabellis
Non es amaturus, ducendi nulla videtur
Causa."

Ceterum, quum filiae sponsus eligeretur, praecipue stirpis censusque rationem esse habitam inde concludimus, quod poëta III, 160 sq. exhibet haec:

„Quis gener hic placuit censu minor atque puellae
Sarcinulis impar?"

Jam quod attinet ad ipsas nuptias, tripartitas eas fuisse e scriptoribus veteribus cognoscimus: discernendae enim sunt caerimoniae, quae observabantur domi sponsae, deinde in domum deductione, denique in sponsi domo.

Jam prima luce qui ad sollemnia nuptiarum agenda erant adsciti sponsae domum conveniebant, id quod docent II, 132 sqq., ubi haec legimus:

„Officium cras
Primo sole mihi peragendum in valle Quirini.
Quae causa officii? quid quaeris? nubit amicus,
Nec multos adhibet."

unde simul patet praesentiam cognatorum et amicorum tamquam officium esse habitam;[2] cf. etiam VI, 202 sq.:

„Nec est, quare cenam et mustacea perdas
Labente officio crudis donanda.

Ut nihil fere majoris rei, ut Ciceronis[3] utar verbis, veteres Romani nisi auspicato gerebant, sic etiam ipsa nuptiarum

---

teneri. XIX, 1, 11. §. 6. Plin. H. N. XXXIII, 1. §. 28. Terent. Eun. III, 4, 3:

„Dati anuli, locus, tempus constitum est."

[1] Cod. Just. V, 1, 1. Alii desponsata renuntiare conditioni et nubere alii non prohibetur.

[2] Suet. Claud. 26. Calig. 25. Nero 28.

[3] Cic. de div. I, 16, 28. ibid. I, 2. Liv. IV, 41. Serv. Aen. I, 346. IV, 45. 350.

sollemnia ita exordiebantur, ut auspices, num dii nuptias conciliandas probarent, necne, in sponsae domo auspicarentur. Auspices vero nuptiis posterioribus quoque temporibus, quamquam, ut memoriae proditum est,[1] auspicia tum omittebantur, adhibitos esse, testes sunt Juvenalis X, 336:

„Veniet cum signatoribus auspex."

aliique scriptores.[2]

Omnino, ut hoc in ipso hoc loco moneamus, matrimonium Romanorum maxime firmatum erat religione, id quod e multis Juvenalis locis intelligere possumus.

Persuasum erat iis matrimonium esse deorum tutelae; ac Junonem quidem praeter ceteros quasi conjugii praesidem venerabantur ideoque pronubam vocabant.[3] cf. VI, 48:

„Tarpejum limen adora
Pronus et auratam Junoni caede juvencam."

et II, 98, ubi poëta molli cuidam viro tamquam mulieri, Junonem praesidem tribuit.

Sanctitas matrimonii inde quoque apparet, quod prioribus certe temporibus lectum genialem tamquam monimentum et pignus connubii Romani religiose servabant sanctumque iis erat jusjurandum, quod per illum jurabant; sic legimus VI, 21 sqq.:

„Antiquum et vetus est alienum, Postume, lectum
Concutere atque sacri genium contemnere fulcri."

et IX, 77:

„Testis mihi lectulus."

Jam ut redeamus, unde degressi sumus, nuptiarum die dos filiabus danda constituebatur, quae quidem apud lautiores ac divitores tum temporis non parva fuisse videtur; spectant enim huc X, 335:

„Et ritu decies centena dabuntur
Antiquo."

et VI, 137 sqq.:

---

[1] Cic. de div. I, 16. Val. Max. II, 1, 1.
[2] Suet. Claud. 26. Tac. Ann. XI, 27. XV, 37. Stat. Silv. I, 2, 229.
[3] Plut. Q. R. II. Virg. Aen. IV, 59. Ovid. Amor III, 13 sq. Serv. ad Aen. IV, 166.

„Bis quingena dedit; tanti vocat ille pudicam
Nec Veneris pharetris macer est, aut lampade fervet:
Inde faces ardent, veniunt a dote sagittae.“

cf. etiam XIV, 220 sqq. Qua de causa tabulae nuptiales sive dotales ipsis nuptiarum sollemnibus scribebantur et a testibus consignabantur; scripsit enim poëta II, 119:

„Signatae tabulae; dictum Feliciter!“

et IX, 75:

„Tabulas quoque ruperat et jam
Signabat.“

Neque alienum est a veritate, si respexeris X, 336, id factum esse auspicibus adhibitis.[1]

Deinde qui sollemnibus intererant connubio jungendis gratulabantur, quod sine dubio indicat vox illa „Feliciter“, quae exstat versu modo laudato.

Sollemnibus nuptiarum cenam nuptialem non defuisse luce est clarius; legimus enim II, 119 sq.:

„Ingens
Cena sedet; gremio jacuit nova nupta mariti.“

et VI, 201 sq.:

„Ducendi nulla videtur
Causa, nec est quare cenam et mustacea perdas.“

Quam cenam nonnulli quidem scriptores[2] in domo paterna sponsae factam esse tradiderunt, id quod quibusdam recentioribus viris doctis placuit; sed mentiones illas ad priora tantum tempora spectare Juvenalis ostendit VI, 201 sqq. Nam ut existimes, in sponsae domo cenam illam esse factam, quo tandem modo fieri potuit, ut sponsus ille apud Juvenalem cenam et liba mustacea perderet?

Ut in Graecorum epulis genialibus συγαμοῦντας floruisse apud veteres scriptores legimus, sic moris apud Romanos fuisse in cenis nuptialibus libis mustaceis vesci e loco Juvenalis modo laudato patet.

Caerimoniis in domo paterna sponsae rite peractis sponsus novam nuptam domum ducebat, unde factum est, ut

---

[1] Suet. Claud. 26: Dote inter auspices consignata.
[2] cf. praeter alios Catull. LXII, 1. sqq.

verba „uxorem ducere" idem significarent atque „uxorem sibi matrimonio adjungere;" cf. enim VI, 28:

„Certe sanus eras? uxorem, Postume, ducis?"

Vici, per quos pompa ducebatur, conferti erant ingenti hominum turba, qui eam spectatum convenerant. Neque vero assensus sim iis, qui ex VI, 78:

„Longa per angustos figamus pulpita vicos."

concluderint, in ipsis vicis eam ob causam pulpita interdum esse excitata. Imo summa ironia et amara irrisio in illos, qui conjuges ducerent, inest in illis verbis.

In omnibus tam publicis quam privatis gaudiis aedium fores ornatas esse accepimus; itaque consentaneum est, earum quoque domuum, in quibus nuptiae conficerentur, fores coronis ramisque, quin integris arboribus ornatas et limina floribus conspersa esse. Cujus moris testis exstitit noster quoque poëta VI, 52 sq.:

„Necte coronam
Postibus et densos per limina tende corymbos."

deinde 79:

„Ornentur postes et grandi janua lauro."

denique 227 sq.:

„Ornatas paulo ante fores, pendentia linquit
Vela domus et adhuc virides in limine ramos."

Praecipue vero laurus et hedera, ut loci laudati satis docent, ad januas ornandas adhibebantur.

Nec deest tecta significatio ritus illius nuptialis, ex quo nova nupta ad sponsi domum deducta trans limen, ne pedibus id tangeret, id quod ducebatur ominosum, portabatur.[1] Legimus enim XIV, 220 sq.:

„Elatam jam crede nurum, si limina vestra
Mortifera cum dote subit."

Lectus genialis, cujus Juvenalis compluries facit mentionem, ut VI, 22. 226. 268., ipso nuptiarum die sternebatur, quod quidem concludi potest ex X, 333 sqq.:

„Dudum sedet illa parato
Flammeolo Tyriusque palam genialis in hortis
Sternitur."

---

[1] Plut. Q. R. 29. Serv. ad Virg. Ecl. VIII, 29. Catull. LXI, 166 ff.

Poëta quidem palam id factum esse hoc loco dicit, sed hoc tantum consilio, ut castigaret Messalinae libidinem; imo vero ex aliis scriptoribus elucet, lectum genialem in atrio esse stratum.[1]

Postridie maritus novam nuptam dono matutinali tanquam pro virginitate deposita afficiebat; id enim significant quae exstant VI, 204 sq.:

„Quod prima pro nocte datur, quum lance beata
Dacicus et scripto radiat Germanicus auro."

Quod attinet ad mundum nuptialem, sponsa sollemnibus nuptiarum flammeo caput obnubebat; spectant huc X, 333 sqq. et VI, 225:[2]

„Permutatque domos et flammea conterit."

quo factum est, ut verbum nubendi eandem notionem haberet de mulieribus, quae ducendi verbo subjecta est de viris.

Denique non praetermittendum est, jam tum temporis fuisse moris, connubia recens conjuncta in acta diurna referre. Legimus enim II, 136:

„Fient ista palam, cupient et in acta referri."

Sed haec hactenus de nuptiarum ritibus. Jam quum quaeramus de condicione, qua mulieres usae sint apud Romanos, satis apparet e scriptoribus veteribus, multo majorem auctoritatem eas ibi tenuisse, quam apud Graecos. Mater familias sive matrona laris, quo nomine Juvenalis eam vocat III, 110, particeps erat dominationis, quam pater familias habebat in totam familiam. Itaque ejus erat, quoniam rem domesticam administraret, rationes accepti et expensi, quas quotidie ancillae referebant, excutere; sic enim intelligimus quae Juvenalis scripsit VI, 483:

„Longi relegit transversa diurni."

Mulieres ingenuae Romanorum non includebantur quidem in gynaeceis, quod apud Graecos factum esse proditum est memoriae, sed inhonestum habitum esse, eas in publicum

---

[1] Catull. LXIV, 47. Ascon. ad Cic Mil. V, §. 13.

[2] Schol. ad VI, 225: „Flammeum. Genus amicti, quo se cooperiunt mulieres die nuptiarum. Est enim sanguineum propter pudorem custodiendum.

conventumque virorum prodire, liquet ex poëta dicente VI, 398 sqq. satius esse, mulierem cantu gaudere, quam vagam et impudentem esse, conventicula et coetus virorum ingredi cum militumque ducibus loqui. Nec legibus erat prohibitum, quominus mulieres spectaculis interessent, quod apud Graecos solis viris concessum esse constat; id enim plane ostendunt VI, 61 sq:

„Cuneis an habent spectacula totis
Quod securus ames?“

multique alii loci Juvenalis.

Deinde quum quaeramus de moribus mulierum, diversis temporibus diversos eos fuisse invenimus. Erant enim feminae priscis temporibus singularis castitatis, nam, ut ait Juvenalis VI, 287 sqq:

„Praestabat castas humilis fortuna Latinas
Quondam, nec vitiis contingi parva sinebant
Tecta labor somnique breves et vellere Tusco
Vexatae duraeque manus ac proximus urbi
Hannibal et stantes Collina turre mariti.“

Extremis vero temporibus liberae reipublicae et Caesarum aetate quanta facta erat morum commutatio! Mulieres libertate, qua utebantur, pelliciebantur, ut vincula a natura et more sibi imposita excuterent. Tam rara tum temporis erat casta mulier, ut poëta aetatem suam accusans acerbe exclamet VI, 45 sqq:

„Quid quod et antiquis uxor de moribus illi
Quaeritur? o medici nimiam pertundite venam!
Delicias hominis! Tarpejum limen adora
Pronus et auratam Junoni caede juvencam,
Si tibi contigerit capitis matrona pudici.“

et VI, 165 talem mulierem raram in terris avem nigroque cycno simillimam esse dicat.

Concedendum quidem est, Juvenalem in iis, quae de feminis prodiderit, saepe modum excessisse, attamen non desunt documenta, e quibus concludere possumus, quam longe lateque illa aetate diffusi fuerint mores corrupti. Inprimis magnae illae rerum commutationes, quae omnibus fere populis a Romanis subactis fiebant, maximi erant momenti ad corrumpendos mulierum mores. Nam quum ex istis populis non

solum magnae divitiae sed etiam luxuria, quam praecipue in Graecia et Asia increbruisse scriptores testantur, Romam importarentur, fieri non potuit, quin mores quum virorum tum mulierum molles et obsceni efficerentur. Praeclare igitur poëta VI, 292 sqq:

„Saevior armis
Luxuria incubuit victumque ulciscitur orbem
Nullum crimen abest facinusque libidinis ex quo
Paupertas Romana perit: hinc fluxit ad istos
Et Sybaris colles, hinc et Rhodos et Miletos
Atque coronatum et petulans madidumque Tarentum.
Prima peregrinos obscena pecunia mores
Intulit, et turpi fregerunt secula luxu
Divitiae molles.“

Maxime mulieribus illius aetatis vertitur crimini inexplebilis quaedam ludorum spectandorum cupiditas. Qua de re Juvenalis mulieres multis locis castigat, e quibus unum afferre sufficiat: VI, 87:

„Utque magis stupeas, ludos Paridemque reliquit.“

Proficiscebatur vero inde tantum splendoris studium, ut, quemadmodum poëta dicit VI, 511, mulieres rei familiaris rationem non amplius haberent. Quin accidere solebat, ut pauperes mulieres, quae divites nobilesque videri cupiebant, splendorem, quo utebantur, mutuum sumerent, ut Juvenalis quidem dicit VI, 353 sq:

„Conducit comites, sellam, cervical, amicas,
Nutricem et flavam, cui det mandata, puellam.“

Romae enim omnia mutua dabantur, etiam anuli, quibus pauperes causidici, ut divites viderentur et clientes allicerent, digitos ornabant; quo spectant VII, 140 sqq.

Neque vero illud solum erat malum, quod spectandi studium atque voluptas procreabat, imo multa alia inde emanabant incommoda. Nam fuisse mulieres Juvenalis docet, quae non tam spectaculis tenerentur, quam per illos, qui in conspectu ea ponerent; sic praenobiles mulieres favuisse athletis et gladiatoribus, nec minus gratos iis fuisse histriones, citharoedos, choraulas; cf. VI, 73—113.

Jam quum mulieres ejus aetatis essent abjectissimae, fa-

cile intelligitur, eas non dubitasse etiam libidinosis illis virorum commissationibus interesse; nec jam in his, ut antea in cenis, sedebant, sed, ut apparet ex VI, 434, discumbebant bibendi contentione cum viris decertantes et oculos auresque praebentes delicatis atque pulchris puellis Syriae, quae lascivis cantilenis et saltationibus convivas delectabant; cf. XI, 162 sqq:

„Incipiant prurire choro plausuque probatae
Ad terram tremulo descendant clune puellae?
Spectant hoc nuptae juxta recubante marito,
Quod pudeat narrare aliquem praesentibus ipsis."

Quod vero Juvenalis VI, 242—267 dicit fuisse mulieres, quae tam litigiosae essent, ut non modo causas suas defenderent, sed etiam alios accusarent, si non reae essent, et libellos componerent, quaeque artes inhonestas et gymnicas athletarum et gladiatorum exercerent, id modum excedere videtur, nec sine quadam veritatis specie est, etiam illa aetate ejusmodi mulieres haud numerosas fuisse; quin ipse poëta apertis verbis id concedit II, 53:

„Luctantur paucae, comedunt colyphia paucae."

Deinde nulla fere res, quantum quidem e Juvenale conjicere possumus, Romae illis temporibus latius diffusa fuisse videtur, quam adulterium. Quid quod ne imperatorias quidem uxores illo flagitio abhorruisse ex VI, 115 sqq. discimus, et ne a servis quidem et gladiatoribus mulieres, ut libidinibus satisfacerent, abstinuisse VI, 72—94 et 279 aperte declarant?

Poenae adulteri non legibus definitae fuisse videntur; imo ex iis, quae poëta perhibet X, 311 sqq:

„Fiet adulter
Publicus et poenas metuet, quascunque mariti
Exigere irati."

patet permissum fuisse marito, ex moecho in adulterio deprehenso ad suum arbitrium poenas exigere.

Neque fieri potuit, quum connubia saepissime adulterio perturbarentur, quin tum temporis etiam divortium crebrum esset, quod per quingentos annos inde ab urbe condita ra-

rissimum fuisse memoriae proditum est.[1] Quis est, quin obstupescat improba illa animi levitate, qua tum connubia conjungebantur et solvebantur? Poëta, quod dicit VI, 224—230 inveniri mulieres, quae divortium facerent viridibus illis ramis, quibus nuptiis fores ornatas esse supra docuimus, et octo per quinque autumnos maritis nuberent, nimius est; rem istam autem vere latius patuisse, manifestum est, quum non putandum sit, Juvenalem eam ex vano tantopere irrisisse.[2]

Quod pertinet ad ritus, qui adhibebantur in divortio faciendo, moris erat, ut qui uxorem dimittere volebat libertum ad eam mitteret, qui, ut poëta docet VI, 145, sarcinas colligere et foras exire eam juberet. Tabulas dotales et matrimoniales, quas in conjungendis matrimoniis signatas esse supra vidimus, in divortio ruptas esse Tacitus[3] memoriae tradidit; nec non Juvenalis morem illum illustrat scribens IX, 75:

„Tabulas quoque ruperat et jam
Signabat.“

Denique commemorandum esse videtur, illis temporibus, quantum quidem e Juvenale intelligimus, non inusitatum fuisse, ut nobiles ac divites feminae conceptum partum medicamentis in utero exstinguerent et abigerent, ut, ut Juvenalis verbis utar, et partus discrimen et nutricis labores effugerent, et, ne maritorum gaudia et vota deciperent, ex infantibus, qui ab aliis expositi erant, formosissimos peterent et pro suis supponerent; qua de re cf. VI, 592 sqq.

Quam periculosum omnino fuerit, tum temporis uxorem matrimonio sibi conjungere, discimus ex VI, 28 sqq., ubi poëta Postumo uxorem ducturo de insania et furore exprobrat his verbis:

„Certe sanus eras! Uxorem, Postume, ducis?
Dic, qua Tisiphone, quibus exagitare colubris?
Ferre potes dominam salvis tot restibus ullam?
Quum pateant altae caligantesque fenestrae?
Quum tibi vicinum se praebeat Aemilius pons?“

---

[1] Gell. IV, 3.
[2] Senec. de ben. III, 16.
[3] Tac. Ann. XI, 30.

Itaque non pauci inveniebantur, qui, ne talibus malis vexarentur, caelibes esse praeoptarent. Caesar quidem et Augustus legibus ad justa connubia trahenda cives excitare studebant; sic legibus Julia et Papia Poppaea institutum erat, ne caelibes ex aliorum testamentis, nisi e proximorum, quidquam caperent, utque pars quaedam in fiscum caderet, si is, cui testamento aliquid esset legatum, liberos non haberet [1]; praeterea multa praemia proposita erant iis, qui numerum trium pluriumve liberorum implevissent; cf. enim VI, 38 et IX, 87:

„Jura parentis habes, propter me scriberis heres,
Legatum omne capis nec non et dulce caducum,
Commoda praeterea junguntur multa caducis,
Si numerum, si tres implevero."

sed hoc rescriptum secus atque illi putaverant, cecidit. Nam inde ab hoc tempore connubia conjungebantur hereditatum neque heredum adipiscendorum causa, et mulieres saepe hoc tantum consilio matrimonia inibant, ut tutae per maritum pecuniae cupidum corporis voluptatibus se dedere possent; id enim luculenter apparet ex I, 55 sqq:

„Quum leno accipiat moechi bona, si capiendi
Jus nullum uxori, doctus spectare lacunar,
Doctus et ad calicem vigilanti stertere naso."

Sed haec hactenus.

Sequitur, ut Juvenale duce quaestionem instituamus

De liberorum condicione.

Infantes, ubi nati erant deponebantur ad pedes patris familias, qui quos pro suis agnoscebat et educari volebat, in gremium tollebat; quo factum est, ut verba tollendi et educandi eadem essent vi. Spectant enim ad istum morem quae perhibet poëta VI, 38:

---

[1] Tac. Ann. III, 28. II, 51. XV, 19. Dio C. LIII, 13. Gell. II, 15. Suet. Aug. 44. Schol. ad VI, 38: „Lex Julia. Quae jubet eos hereditatem capere, qui filios habent."

„Sed placet Ursidio lex Julia: tollere dulcem
Cogitat heredem."

et IX, 84:

„Tollis enim et libris actorum spargere gaudes
Argumenta viri."

qui locus simul morem illum illustrat, quo partus sicut matrimonia recens conjuncta in acta publica referebantur.

Inter multos et superstitiosos ritus, quos in educandis infantibus Romani observabant, hic quoque erat, ut collum recens natorum bulla aurea ornarent,[1] quo insigni praebia contra fascina et incantationes inclusa fuisse videntur.[2] Itaque Juvenalis infantem appellat bullatum XIV, 4 sq:

„Ludit et heres
Bullatus parvoque eadem movet arma fritillo."

Sine dubio hic mos ab Etruscis erat petitus; id enim declarat V, 164, ubi poëta bullam auream vocat aurum Etruscum. Sed nobilium tantum infantes utebantur aurea bulla, libertinorum omninoque pauperum propria scortea bulla sive lorum nominatur V, 163 sqq:

„Quis enim tam nudus, ut illum
Bis ferat Etruscum, puero si contigit aurum
Vel nodus tantum et signum de paupere loro."

Nono die recens nati nomina accipiebant;[3] ac civibus quidem plerumque tria nomina: praenomen, nomen, cognomen, indita esse invenimus. Id enim non solum Juvenalis testatur, quum scripserit V, 126 sq:

„Si quid tentaveris umquam
Hiscere, tamquam habeas tria nomina."

sed etiam alii scriptores, ut Plutarchus Q. R. 102 p. 160. R: „*Χρῶνται δὲ δυσὶ μὲν ὀνόμασιν αἱ θήλειαι, τρισὶ δὲ οἱ ἄρρενες.*" Artemidorus On. I, 45: „*Οἶδα δέ τινα, ὅς ἔδοξε τρία ἔχειν αἰδοῖα δοῦλος ὤν· καὶ ἐγένετο ἐλεύθερος καὶ ἀνθ᾽ ἑνὸς ὀνόματος τρία ἔσχεν.*" Seneca de benef. IV, 8.

---

[1] Plaut. Rud. 1171. Prop. V, 1, 131. Plin. hist. nat. XXXIII, 1, 10. Macrob. Sat. I, 6, 16. Paul. p. 36.

[2] Varro l. l. VII, 108. Paul. p. 235. Fest. p. 238.

[3] Macrob. Sat. I, 16.

Jam si quaerimus de educatione liberorum, veteres scriptores memoriae prodiderunt,[1] priscis temporibus mulieres Romanas editos infantes ipsas aluisse. Quo labore posteriore aetate divites atque nobiles matres familias supersedentes infantes nutricibus alendos tradebant, nec nisi pauperes hunc laborem ipsae obibant. cf. quae exstant VI, 592 sq.:

„Hae tamen et partus subeunt discrimen et omnes
Nutricis tolerant fortuna urgente labores.“

Uberibus ablati infantes plerumque mandabantur curae custodiaeque matronarum, quae assae appellabantur, ut apparet ex XIV, 208:

„Hoc monstrant vetulae pueris repentibus assae.“

quem ad versum vetus scholiastes: „Assa, inquit, dicitur nutrix, quae lac non praestat infantibus, sed diligentiam et munditiam adhibet.“ Quae quidem cura certe puellarum diu fuisse inde conjicere possumus, quod nutrices illas saepe etiam a nuptis retentas esse legimus; sic apud Juvenalem VI, 354. Puero vero mature paedagogum additum esse veteres scriptores docent; qui tamen non confundendus est cum capsario, qui sine dubio illo erat inferior; nam erat capsarii puerum scholas adeuntem prosequi eoque capsas ejus, quibus libri chartaeque continebantur, ferre; cf. X, 117 et VII, 218.

Scholis pueros traditos esse anno septimo peracto Juvenalis est auctor, quum scripserit XIV, 10 sqq.:

„Quum septimus annus
Transierit puero, nondum omni dente renato,
Barbatos licet admoveas mille inde magistros.“

Ubi quam severa fuerit disciplina extremis quidem liberae reipublicae temporibus, optime intelligitur ex iis, quae Horatius tradidit de magistro suo Orbilio Pupillo. Multo vero laxior ea fuisse videtur Juvenalis aetate, nam certe non ex vano ille scripsit VII, 213:

„Sed Rufum atque alios caedit sua quemque juventus.“

---

[1] Plut. Cat. maj. 20; De lib. educ. vol. IV, p. 8.

Instrumentum, quo pueri, si poenam sibi contraxerant, vapulabant, erat ferula; scripta enim exstant I, 15:

„Et nos ergo manum ferulae subduximus."

In ipsa disciplina secernendae sunt scholae litteratorum, grammaticorum, rhetorum. A litteratoribus pueri docebantur prima elementa, velut artem scribendi, cujus in exercitationibus tabulas ceratas sive ceras usurpabant, ut declarant XIV, 191 sq.:

„Clamosus juvenem pater excitat: Accipe ceras,
Scribe puer."

et computandi rationem, quam ita sibi reddebant faciliorem, ut aut per calculos numerarent, cf. IX, 40:

„Ponatur calculus, adsint
Cum tabula pueri."

aut per digitos, quo poëta respexit X, 249:

„Suos jam dextra computat annos."

quod quidem, ut etiam ex nostro loco conjicere possumus, hoc modo fiebat, ut numerus, qui infra centum erat, digitis sinistrae manus numeraretur, centenarius vero et major illo digitis dextrae.[1]

Jam pueri, quum primis elementis essent imbuti scholas grammaticorum et rhetorum frequentabant. Atque illorum quidem praecipua opera versabatur in interpretandis poëtis, quo mentes animosque juventutis colerent. Sic Juvenalis aetate inprimis Virgilii et Horatii carmina in scholis interpretata esse legimus VII, 226:

„Quot stabant pueri, quum totus decolor esset
Flaccus et haereret nigro fuligo Maroni."

nec non Homeri carminum rationem esse habitam inde colligimus, quod ea tam vulgata erant, ut etiam a mulieribus inter cenam crebris sermonibus usurparentur. cf. enim VI, 437, et XI, 178. In rhetorum scholis multum tribuebatur declamationibus, quibus sermonis numerus conformaretur; itaque discipuli tum quae magister dictaverat perdiscebant quaeque didicerant stantes declamabant, ut liquet ex VII, 152 sq.:

---

[1] Beda, de loquela per gestum digitorum et temporum ratione

„Nam quaecumque sedens modo legerat, haec eadem stans
Perferet atque eadem cantabit versibus isdem."

tum ipsi themata et suasoria et deliberativa elaborabant; quorum argumenta plerumque erant ficta, veluti de Hannibale dubitante, utrum Romam post victoriam Cannensem peteret, an tempestate et fulminibus territus exercitum inde reduceret; aut de eodem deliberante, an superatis Alpibus pergeret Romam proficisci; aut de Sulla, cui consilium dabatur, ut dictatura curaque reipublicae deposita reliquam vitam degeret privatus; aut pueri orationes de tyrannis perimendis declamabant; cf. enim VII, 161. I, 16. VII, 151. 168. sqq.

Quibus declamationibus verisimile est certos dies esse definitos; huc enim spectare mihi videtur VII, 160 sq.:

„Nil salit Arcadico juveni, cujus mihi sexta
Quaque die miserum dirus caput Hannibal implet."

Nec non eadem argumenta saepe repetebantur, ut et ex loco modo laudato patet et ex VII, 154., ubi poëta magistros vocat miseros, quippe quos eadam a discipulis saepe repetita, ut crambe saepius apposita, fastidio conficerent. Simul orationis ornamenta, causarum genera, quaeque ab adversariis objici et qua ratione possent refutari a magistris adolescentes docebantur; cf. VII, 155 sq.:

„Quis color et quod sit causae genus, atque ubi summa
Quaestio, quae veniant diversae forte sagittae."

quaeque ibi didicerant ratione exercitatione forensi usu cognoscere studebant; id enim indicat VII, 173:

„Ad pugnam qui rhetorica descendit ab umbra."

Jam quod attinet ad mercedem, quam magistri accipiebant, Juvenale teste conditio eorum non erat digna, cui invideretur; tantum enim mercedis grammaticos per totum annum accepisse poëta tradidit VII, 242, quantum victores aurigae aut gladiatores una hora consequerentur; cf. etiam VII, 157:

Nosse velint omnes, mercedem solvere nemo."

Maximam mercedem rhetores accipiebant; id, quod jam per se facile est intellectu, Juvenalis quoque docet VII, 216 sq.:

„Quantum grammaticus meruit labor? . . . .
. . . . minus est autem quam rhetoris aera."

Quae quanta fuerit, non silentio praeterivit poëta; nam ex VII, 186 comperimus, Quintiliano rhetori pro puero instituendo duo sestertia esse persoluta; quod tamen quotannis tantum factum esse ex VII, 242 colligi potest. Quamquam etiam rhetores raro tantum magnam ex munere capiebant mercedem, quippe quae multitudine eorum valde imminueretur. Sic legimus VII, 173—177, pueros diversas rhetorum scholas adiisse, quo tentarent, quanti quisque doceret. Quin, ut apparet ex VII, 218, fiebat interdum, ut magistri parte constitutae mercedis institutionis, quae quolibet tormento gravior fuisse dicitur, a servis, qui pueris custodes erant additi, defraudarentur; exstant enim ibi:

„Disciple custos praemordet Acoenonoëtus
Et qui dispensat, franget sibi.“

et saepe hoc tantum modo salarium a parentibus illi poterant obtinere, ut nomina per tribunum persequerentur. cf. VII, 228 sq.:

„Rara tamen merces, quae cognitione tribuni
Non egeat.

Quamquam a magistris postulabatur, ut omnia, etiam levissima, scirent; sic scripta exstant VII, 229 sqq.:

„Sed vos saevas imponite leges,
Ut praeceptori verborum regula constet,
Ut legat historias, auctores noverit omnes
Tanquam ungues digitosque suos. e. q. s.“

Quae quum ita essent, optimo jure Juvenali scribenti licuit VII, 203:

„Poenituit multos vanae sterilisque cathedrae.“

Quo tempore et quoties in anno Romae merces magistro soluta sit, hac de re viri docti dissentiunt. Sunt enim, qui auctore Horatio Sat. I, 6, 75:

„Ibant octonis referentes idibus aera.“

contendant, mercedem octonis idibus esse solutam; ii vero omiserunt, Horatium non scholam urbanam sed rusticanam Venusiae l. l. in mente habuisse; imo e Juvenale VII, 242, sq.:

„Sed quum se verterit annus
Accipe, victori populus quod postulat, aurum.“

evincitur peracto demum anno scholastico magistris urbanis mercedem esse solutam. Quem scholasticum annum a quonam

mense Romani auspicati sint, luculenter apparet ex Ovidio, qui Fast. III, 829 sq., ubi de Quinquatribus agit, magistros monet his verbis:

„Nec vos turba Deam (Minervam) censu fraudata, magistri,
Spernite. Discipulos attrahit illa novos."

Neque desunt indicia apud Juvenalem; is enim X, 114 sqq. perhibet haec:

„Eloquium ac famam Demosthenis aut Ciceronis
Incipit optare et totis Quinquatribus optat,
Quisquis adhuc uno parcam colit asse Minervam,
Quem sequitur custos angustae vernula capsae."

Dubitari non potest, quin as ille, quo poëta Minervam coli facit, significet Minerval, quam non mercedem quotannis magistris solutam, sed primam novorum discipulorum stipem fuisse constat.[1] Juvenalis igitur discipulum inducit, qui iisdem diebus, quibus primam stipem magistro dicat, id est illo tempore, unde prima scientiarum rudimenta degustaturus est, optat eloquentiam et famam Demosthenis et Ciceronis olim aequare; hos vero dies Quinquatrus esse eodem loco poëta aperte docet. Statuendum igitur est, Martio mense, nam hoc Quinquatrus in honorem Minervae celebrabantur,[2] ludos esse inchoatos.

Quam bene persuasum sibi habuerint Romani auroram Musis esse amicam, inde apparet, quod jam ante primam lucem initium scholarum fiebat; cf. VII, 222 sqq; quam ob rem in scholis lucernae adhibebantur, quas, ut ait scholiastes ad VII, 225 sqq., pueri secum eo ferebant.

In educandis vero pueris non solum artium optimarum, quae dicuntur, ratio habebatur, sed id quoque videbatur, ut pueri urbanitate atque modestia adsuescerent; sic grande nefas et morte piandum ductum esse poëta refert XIII, 54., si juvenis seniori aut puer juveni, cui prima lanugo genas inumbraret, non assurrexissent.

Restat, ut paucis attingamus detestabile illud vitium,

---

[1] Varro R. R. III, 2. Tertull. de idol. 10.
[2] Ovid. Fast. III, 809 sqq. Macrob. I, 12. 7.

quo Romani tum temporis valde contaminabantur. Dico puerorum amorem, qui quam longe fuerit diffusus, optime intelligimus e Juvenale, qui non paucis locis aequales ea de re castigat. Eo res erat perducta, ut ne imperatores quidem (I, 62) vitio illo abstinerent et praeceptores discipulos corrumperent. cf. X, 224.

De servorum condicione.

Haud ignotum est familiam Romanam constitisse e parentibus, liberis, servis; itaque, quum de illis sit disputatum, proximum est, ut disseramus de servis. Romani inde ab antiquissimis temporibus habebant servos; numerus autem servorum admodum erat diversus ab eo, quem posteriore aetate apud illos invenimus. Erat enim priscis temporibus res familiaris tam parva, ut ad curandam eam pauci tantum servi suppeterent, praesertim quum pater familias ipse cum filiis multa negotia, quae postea servis erant conficienda, obiret. Huc spectans Juvenalis XIV, 166:

„Saturabat, inquit, glebula talis
Patrem ipsum turbamque casae, qua feta jacebat
Uxor et infantes ludebant quattuor, unus
Vernula, tres domini, sed magnis fratribus horum
A scrobe vel sulco redeuntibus altera cena
Amplior fumabat.“

Tempore vero procedente possessiones singulorum sic amplificabantur et luxuria invalescens tantam copiam rerum necessariarum, quae antea plane erant incognitae, procreabat, ut multi Romani magnas servorum greges ad rem familiarem curandam pascerent; cf. XII, 115 sqq.:

Alter enim, si concedas, mactare vovebit
De grege servorum magna aut pulcherrima quaeque
Corpora.“

Quin divitiae ex servorum numero aestimabantur, nam primam esse quaestionem poëta III, 141. dicit, quot pasceret aliquis servos. Quaerentes, quomodo Romani servos sibi paraverint, partem in ipsa domo ex ancillis natam esse invenimus, qui quidem vernae appellabantur. cf. I, 26. X, 107.

Qui quum plerumque cum ipsis familiae liberis educarentur (cf. XIV, 109), fieri non potuit, quin urbanitatem et procacitatem quandam adsciscerent. Sic Juvenalis scripsit IX, 9, sqq.:

„Certe modico contentus agebas
Vernam equitem, conviva joco mordente facetus
Et salibus vehemens intra pomoeria natis.“

Alia pars servorum per mangones Romam importabatur, nam, ut in aliis oppidis, sic etiam ibi venaliciaria exercebatur; id enim elucet ex VII, 132:

„Perque forum juvenes longo premit assere Medos
Empturus pueros.“

Servi venales in foro nudi in catasta a mangonibus exponebantur, quo melius formae fierent conspicuae; cf. enim VII, 16. Praeterea pedes eorum, qui recens ex barbaris terris trans mare Romam erant advecti, cretati vel gypsati erant; quem morem illustrat I, 111:

„Nuper in hanc urbem pedibus qui venerat albis.“

Nec non sub hasta tamquam res servos veniisse docet III, 33:

„Et praebere caput domina venale sub hasta.“

Pretia, quibus servi Romae emebantur, per se liquet pro facultatibus singulorum et pro temporibus fuisse diversa; in universum vero, quantum quidem e Juvenale apparet, servi ejus aetate maximi erant pretii; scripta enim exstant V, 56 sqq.:

„Flos Asiae ante ipsum, pretio majore paratus,
Quam fuit et Tulli census pugnacis et Anci,
Et ne te teneam, Romanorum omnia regum
Frivola.“

Ex omnibus fere nationibus homines in servis Romanis inveniebantur; itaque, quum singulae nationes ad certa quaedam munera fungenda maxime haberentur idoneae, haud inusitatum erat in distribuendis ministeriis earum habere rationem. Sic cursoribus praecipue Afris et Numidis Romani utebantur, unde poëta V, 52 sq. scripsit:

„Tibi pocula cursor
Gaetulus dabit aut nigri manus ossea Mauri.“

Optimi lecticarii habebantur Syri, Liburni, Moesi, Medi,

quod omnes illi populi erant proceri et robusti; cf. enim VI, 351:

„Quam quae longorum vehitur cervice Syrorum.“

deinde III, 240:

„Ingenti curret super ora Liburno.“

et VII, 132. Phryges, Lycii omninoque Asiani ad mensam consistebant et pocula ministrabant; itaque Juvenalis V, 56:

„Flos Asiae ante ipsum.“

et XI, 147 sq.:

„Non Phryx, non Lycius, non a mangone petitus
Quisquam erit.“

Jam ut ad singula munera servorum transeamus, discernendi sunt servi, qui latifundia Romanorum colentes familiam rusticam efficiebant, ab iis, qui domesticis muneribus fungentes nomine familiae urbanae significabantur. Ex illis Juvenalis mentionem fecit fossoris IX, 45, sq:

„Servus erit minus ille miser, qui foderit agrum
Quam dominum.“

deinde XI, 80:

„Squalidus in magna fastidit compede fossor.“

et piscatoris IV, 25:

„Potuit fortasse minoris
Piscator quam piscis emi.“

Plura quam de familia rustica e Juvenale cognoscimus de urbana, cujus magnus numerus non tam in rebus ad vivendum vere necessariis, sed in luxuria quae Caesarum aetate altissime radices egerat, positus erat. Sic invenimus X, 216 cubicularios, quorum erat salutatum venturos domino nuntiare; deinde servos ab ornamentis, ut tonsores VI, 26, cosmetas et ornatrices VI, 477 et 492 sqq; porro aliptas et alipilos, qui in balneis adhibebantur; cf. III, 76. VI, 422. XI, 157. Frequens erat numerus eorum, qui cenas apparabant et ad mensas consistebant; invenimus enim archimagirum IX, 109, et structorem qui ad numerum manus gerens non modo mensas ferculaque docte apparabat sed etiam cibos scindebat, quam ob rem idem carptor dicebatur; cf. IX, 110. XI, 136. V, 120—134. Alii pulmentaria condiebant (VII, 185), alii panem porrigebant (V, 67), alii ad cyathos stantes vina

aut calidam gelidamve aquam ministrabant; de quibus conferas quae exstant V, 59—63. IX, 46. XI, 146 sq. 159; alii cibos atque pota, priusquam dominus ea gustaret, explorabant cf. VI, 633:

„Tumidus praegustet pocula pappas.“

Nec minus frequentes erant ii, qui extra domum adhibebantur. Paucis tantum attingantur lecticarii, quippe quorum jam supra mentio sit illata, nec silentio praetermittantur qui noctu dominos domum deducebant faces et candelabra praeferentes; cf. III, 285. Huc pedissequi quoque referendi sunt, quos pueris scholam adeuntibus additos esse jam supra ostendimus. Item cursorum, qui ante currum ditiorum Romanorum iter facientium praecurrebant, jam mentio facta est. Deinde dispensatores, qui dominis erant a rationibus excepti et expensi, medici, librarii, caelatores, institores multique alii et servi et servae commemorantur, quos si omnes enumerare velim, vereor ne longus sim.

Hoc tantum addere mihi liceat, illa aetate inprimis nanos et scurras gratia Romanorum floruisse; cf. enim VIII, 32. IV, 31. XIII, 111.

Jam ut de conditione, qua servi apud Romanos usi sint, exponamus, multa in saturis Juvenalis exstant, unde concludere possumus, sortem eorum non fuisse laetissimam. Romae servos tamquam res esse habitos jam inde cognoscitur, quod, ut jam supra monuimus, in modum rerum venalium sub hasta vendebantur. Ac fuisse, qui in dubio essent, num servi vere in hominum numero essent habendi, poëta tradidit VI, 221 ubi mulierem quandam interrogantem fecit:

„O demens! ita servus homo est?“

Quae quum ita sint, facile est ad intelligendum quod Juvenalis dicit, Romanos, qui de liberi hominis nece non diu deliberarent, nihil culpae veritos necasse servos; legimus enim XII, 114 sqq.:

„Alter enim, si concedas, mactare vovebit
De grege servorum magna aut pulcherrima quaeque
Corpora.“

et VI, 218, sqq.:

„Pone crucem servo. — Meruit quo crimine servus
Supplicium? quis testis adest? quis detulit? audi,
Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa est.“

unde simul sicut ex XIII, 105, discimus crucem fuisse capitis supplicium, quo servi apud Romanos afficerentur.

Quantae contumeliae inprimis a mulieribus servis essent perferendae, Juvenalis adumbrat VI, 474—495, ubi inter alia memorat ornatricem ab ornata domina raro discedere nisi capillis laceratis et vestibus discissis. Quid quod Juvenalis VI, 480. tradidit fuisse mulieres, quae, quoniam saepissime servos flagellandos curarent, annua tortoribus solverent?

Victum vestitumque servis dominum praebuisse Juvenalis testificatur compluribus locis, ut IX, 123:

„Quorum animos et farre suo custodit et aere.“

et I, 93. IX, 68. cet.

Quod demensum tantum quidem fuisse videtur, ut parci servi aliquid inde possent reponere ad faciendum peculium. Quamquam non intelligeremus, qui fieri posset, ut servi quidam magnas sibi pararent divitias, nisi compertum haberemus, peculium illud saepe etiam extraordinario reditu, velut tributis, quae clientes solverent, ut ad dominum admitterentur, esse auctum; cf. enim III, 189:

„Praestare tributa clientes
Cogimur et cultis augere peculia servis.“

Habitum servorum in magnis domibus non eundem fuisse liquet ex XI, 149, ubi poëta simplicis rei familiaris suae mentionem faciens perhibet haec:

„Idem habitus cunctis, tonsi rectique capilli.“

Plerumque servi erant succincti, quo expeditius ministeriis fungerentur; cf. IV, 24:

„Hoc tu
Succinctus patria quondam, Crispine, papyro?“

Nec praetermittendum est, servos, quo internoscerentur a liberis hominibus capillos semper habuisse tonsos; quem ad morem spectat V, 171.

Quod denique attinet ad poenas, quibus servi afficiebantur, affirmare possumus ad eas excogitandas acuto ingenio fuisse Romanos. Quotidiana poena haec fuisse videtur, ut

servi mitterentur in ergastulum, ubi pedibus vincti opera faciebant;[1] scripta enim exstant XI, 80:

„Squalidus in magna fastidit compede fossor."

cf. etiam VIII, 180. VI, 151. XIV, 24.

Nec inusitatum erat, ut servi, qui delictum commiserant, ad codicem sive ligneum stipitem alligarentur, quae poena inter sessiones ignominiosas referebatur; cf. II, 57:

„Horrida quale facit residens in codice saevo."

Ex instrumentis, quibus servi caedebantur, Juvenalis commemorat flagrum V, 173, tum balteum IX, 112, deinde ferulam et scuticam VI, 479, quam tauream vocat VI, 492, denique virgam XIV, 63. Servi, qui culpam veluti furti commiserat, fronti signum sive, quod exhibet poëta X, 183, stigma ignominiae causa inurebatur; testis exstitit Juvenalis, quum scripserit XIV, 21 sq:

„Tunc felix quoties aliquis tortore vocato
Uritur ardenti duo propter lintea ferro?"

Quo factum est, ut servi notati tali stigmate inscripti vocarentur, id quod docent versus, qui modo laudatos excipiunt:

„Quid suadet juveni laetus stridore catenae,
Quem mire afficiunt inscripta ergastula, carcer?"

Quali capitis supplicio servi afficerentur, jam supra docuimus.

Restat unum, quod dicendum sit de servis. Quos quum constet testimonium dicere in dominos in universum esse vetitos, attamen testimonium eorum, quum dominus majestatis crimine obligatus esset, valuisse inde conjicere possumus, quod scripsit Juvenalis X, 86 sqq.:

„Dum jacet in ripa calcemus Caesaris hostem
Sed videant servi, ne quis neget et pavidum in jus
Cervice obstricta dominum trahat."

---

[1] Schol. ad VI, 120: „Ergastula proprie dicuntur loca, in quibus ad poenam vincti homines opus faciunt."

De clientibus.

Jam sequitur, ut disseramus de clientibus, quoniam iidem necessitudine quadam attigerint familiam. Monendum vero est in ipso initio clientium conditionem Caesarum aetate tantopere fuisse mutatam, ut ex veteribus illis clientibus vix nomen superesset. Quum enim illi fideles sectatores essent patronorum, quin in eorum familiaritate versarentur ab iisque consilio et re adjuvarentur, clientes posteriore aetate comites tantum erant mercede conducti, quos, ut Juvenalis ait X, 46, non amor verus, sed sportula amicos fecit, quibusque a patronis omnes indignitates contumeliaeque erant perferendae. Itaque pro nomine clientium saepe etiam comitum vocabulum usurpatum esse invenimus, ut I, 46; III, 284, alias. Erat enim illa aetate moris, ut omnes viri nobiles aut qui tales haberi cupiebant, ingentem comitum turbam, praesertim quum in publicum prodirent, circum se haberent; inprimis autem iis, qui in toga negotiisque versabantur, etsi minus locupletes erant, numerus talium comitum erat alendus, quorum acclamatione fidem atque auctoritatem sibi pararent; quod quidem docent VII, 141 sqq.:

„Respicit haec primum qui litigat, an tibi servi
Octo, decem comites, an post te sella, togati
Ante pedes.“

et XIII, 31 sq.:

„Nos hominum divumque fidem clamore ciemus,
Quanto Faesidium laudat vocalis agentem
Sportula.“

Homines omnium ordinum inter comites divitum virorum fuisse invenimus. Quid quod patres, qui ex antiquissimis familiis originem ducebant, et magistratus, qui amplis honoribus perfungebantur, velut praetores et tribuni, quorumque multi saepe ipsi alebant clientes, ditioribus sese applicare non dubitabant? Sic legimus I, 99 sqq:

„Jubet a praecone vocari
Ipsos Trojugenas: nam vexant limen et ipsi
Nobiscum: Da praetori, da deinde tribuno!“

et I, 117 sq.:

„Sed quum summus honor finito computet anno,
Sportula quid referat.“

Quanto minus offensioni id esse debebat pauperibus, quales describuntur I, 102. III, 147 sqq. V, 131.

Jam clientes non officiis et fido animo, sed, ut patet ex III, 188, per servos corruptos parare sibi studebant gratiam dominorum sive regum; nam sic tum temporis patronos vocatos esse a clientibus multi loci declarant, velut I, 136; V, 14; 147. cet.

Prioribus temporibus patroni, ut praeter alios scriptores etiam Juvenalis docet, clientes ad convivia adhibere et cena recta hospitaliter excipere consueverant; scripta enim exstant I, 94 sq.:

„Quis fercula septem
Secreto cenavit avus?“

Quod divitibus atque nobilibus dominis, quo superbiores ipsi fiebant et numerus clientium augebatur, paullatim eo molestius factum esse facile est intellectu; itaque in consuetudinem veniebat, clientibus pro cena recta satisfacere summa quadam pecuniae, quae sportula vocabatur; spectant huc I, 95 sqq:[1]

„Nunc sportula primo
Limine parva sedet, turbae rapienda togatae.
Ille tamen faciem prius inspicit et trepidat, ne
Suppositus venias ac falso nomine poscas.
Agnitus accipies.“

Quaeritur autem, qui fuerit ille, qui sportulas distribuebat, quum a nullo alio scriptore sportulae distributio descripta sit. Equidem censeo pronomen „ille“ non in ipsum dominum esse referendum; trepidandi quidem verbum non discrepat ab avaro quodam domino, nec minus in dominum quadrat jubendi ver-

[1] Valla ad h. l.: Vult intelligi apud veteres majorem humanitatem fuisse, quamvis pauperiores essent; nunc autem eam solam clementiam exhiberi, quod sportulam et ipsam quidem tenuem proferant: nisi tamen ab honoratis excludaris, qui ad eam sine pudore conveniunt.

bum, sed a verisimilitudine plane abhorret, eum ipsum, qui se, ut verbis utar Achaintrii, ne eo quidem demittebat, ut una cum clientibus cenaret, tali modo se abjecisse, ut tempus voluptatibus consecratum in sportula foris distribuenda consumeret; praeterea, inquit Achaintrius, si dominum intelligi voluisset poëta, non „ille", sed „ipse" dixisset. Deinde quum constet, patronis tum temporis non unum quemque clientium suorum fuisse notum, facile concedes ipsos illos haudquaquam idoneos fuisse ad sportulam distribuendam. Putandum igitur est, servo cuidam, fortasse dispensatori aut nomenclatori, id negotium fuisse mandatum; talem, quippe quum quotidiano distribuendo notus esset, poëta pronomine „ille" significare potuit.

Quotidianam sportulam constitisse e centum quadrantibus Martialis et Juvenalis testes exstiterunt; legimus enim apud Martialem IV, 68:

„Invitas centum quadrantibus et bene cenas."

et apud nostrum poëtam I, 120 sq.:

„Densissima centum
Quadrantes lectica petit."

Quod vero Rupertius ad I, 95. censet, clientes sportellas accepisse, quae centum quadrantes continerent, hac in re, ut saepe, vir ille doctus, errat; imo nomen tantum ex antiquo more, de quo clientibus corbula cibis repleta dabatur, in pecuniae distributionem translatum est. Neque ad veritatem accedere videtur quae Juvenalis I, 128 sq. tradidit, sportulam mane esse distributam, quum multo probabilius sit, sportulam praestitis demum officiis esse petitam; id Martialis quoque testatur X, 70, 13:

„Balnea post decimam lasso centumque petuntur
Quadrantes."

Assentior itaque Beckero, qui illo Juvenalis loco id quod efficiatur pro re efficiente positum esse putat.

Erat autem id pecuniae distribuendae institutum clientibus majori commodo, quam cena recta; ac primum quidem hac de causa, quod sportulam multo saepius accipiebant, quam cena recta prioribus temporibus excepti esse videntur;

deinde quod, quum cena recta soli fruerentur, hac sportula facultates iis praestabantur non solum victus praebendi toti familiae, id quod docent III, 249, et I, 134:

„Caules miseris atque ignis emendus."

sed etiam, ut apparet ex I, 119, omnibus rebus ad vitam necessariis suppetitandi, praesertim quum non unum sed plures patronos clientes tum temporis haberent; cf. I, 119 sq.:

„Quid facient comites, quibus hinc toga, calceus hinc est
Et panis fumusque domi?"

et V, 21:

„Tota salutatrix jam turba peregerit orbem."

Accedit, quod clientibus, quamquam sportulam argentariam accipiebant, non omnis cenae spes erat abjicienda (cf. I, 132 sqq.), quum divites nobilesque, ut speciem priscae liberalitatis et hospitalitatis prae se ferrent, nonnunquam clientes cena recta exciperent. cf. enim V, 12 sqq.:

„Primo fige loco, quod tu discumbere jussus
Mercedem solidam veterum capis officiorum.
Fructus amicitiae magnae cibus. Imputat hunc rex
Et, quamvis rarum, tamen imputat. Ergo duo post
Si libuit menses neglectum adhibere clientem,
Tertia ne vacuo cessaret culcita lecto."

In consuetudinem quoque adductum esse videtur, ut etiam feminae sportulas acciperent. Beckerus quidem in Gallo t. II, p. 168 id plane inauditum atque insolitum esse dicit; sed ea res mihi videtur eo spectare, quod non solum viri viros comitabantur, sed etiam feminae feminas. cf. I, 125 sqq.

Haud raro quoque accidebat, ut homines sportulam peterent, qui ne minimum quidem jus ejus petendi habebant; spectant huc I, 97 sqq., quorum versuum jam supra mentionem fecimus. Neque vero fieri potuit, quum sportula tanto studio appeteretur, ut ne nobiles quidem homines eam captare puderet, quin, praesertim quum certae dignitatum ordinis ratio habita esse videatur, quod quidem ex I, 99 sqq. concludi potest, saepe iis, qui maxime sportula indigebant, ea non suppeditaret. Deinde non dubitandum est, quin, quanto multitudo clientium augebatur, tanto et sportula tenuior

et conditio eorum deterior facta sit. Itaque Juvenalis queritur, quod divites viri, quippe qui duri atque sordidi essent, amicos demissos male haberent, et laudat liberalitatem et humanitatem Senecarum, Pisonum, Cottarum; cf. enim V, 108—113. Praeter solitam sportulam et cenam rectam, ad quam, uti jam supra docuimus, clientes etiam tum temporis interdum invitabantur, nonnunquam alia dona iis impertiebantur, velut vestimenta (cf. I, 119.), quin etiam praediola, quo spectare videtur IX, 139:

„Quando ego figam aliquid quo sit mihi tuta senectus
A tegete et baculo.“

Omnia autem illa beneficia multis et molestis ministeriis clientibus erant quaerenda, e quibus hoc erat molestissimum, quod quotidie prima luce patronos salutatum ire debebant. Ubi quum ad tempus praesto esse deberent, saepe autem longissima essent itinera, plerumque in tenebris in vias se dare solebant; quo spectans poëta V, 19 sqq. perhibet haec:

„Habet Trebius, propter quod rumpere somnum
Debeat et ligulas dimittere, sollicitus, ne
Tota salutatrix jam turba peregerit orbem
Sideribus dubiis.“

neque ulla tempestas erat recusanda, sive Jupiter grandinem mittebat e coelo, sive pluvias; cf. enim V, 76 sqq.:

„Scilicet haec fuerat, propter quod saepe relicta
Conjuge per montem adversum gelidasque cucurri
Esquilias, fremeret saeva cum grandine vernus
Jupiter et multo stillaret paenula nimbo!“

Deinde clientium erat, patronum, quum in publicum prodiret, comitari, lecticam, qua ille ferebatur, praecedentes, atque hora quidem, qua vici tanta hominum multitudine frequentabantur, ut illi saepe haud lenissime a praetereuntibus tangerentur. Tetigit illa poëta compluribus locis, sic I. 128 sqq., ubi quotidianorum officiorum ordinem perstringens exhibet haec:

„Sportula deinde forum jurisque peritus Apollo
Atque triumphales e. q. s.“

deinde III, 240, 126, 284, VII, 142. X, 44.

Fiebat quoque, ut patronus clientes suos aliis commodaret, id quod elucet ex VII, 43 sqq., ubi patronus clienti cuidam carmina recitaturo alios clientes acclamandi causa commodat.

Denique diebus festis laetisque, quos patronus agebat, clientes munera, praecipue liba, ei afferre solebant; quorum liborum nonnunquam tanta copia patronis suppetebat, ut servis ea essent distribuenda; cf. III, 187 sqq.

Quae officia quum tot tamque molesta essent, non mirandum est, quod Juvenalis clientium ministerium III, 124 comparavit cum servitio. Jam quum constet clientes in universum male habitos esse a patronis, tum turpissima certe conditione ad convivia patronorum adhibiti utebantur; id quod optime nos docet Juvenalis satura quinta. Nonnulla quidem plenius atque uberius ibi descripta esse concedendum est; attamen pleraque, quae Juvenalis tradiderit, vera esse e Martiale, qui mirum in modum cum illo hac in re congruit, cognoscimus. Ab ovo usque ad mala, dicit poëta, sordidissimos cibos clientibus pauperibus apponi, neque id ideo fieri, quod rex bonos atque exquisitos cibos non haberet vel quos haberet depromere nollet, sed hoc eum agere, ut dolerent clientes, quos captos nidore suae culinae putaret. Itaque satius esse mendicare, quam inauditam divitum, solis nummis qui praestarent honorem, superbiam pati, quorum mores etiam servi imitarentur, nam maximam quamque domum servis superbis esse plenam.

De caerimoniis funebribus.

Nuptiae, partus, mors res sunt gravissimae, quibus attingitur familia; nam haec ut nuptiis conditur, partu servatur sic morte non dico deletur, sed perturbatur. Itaque quum supra tractati sint ritus, qui ad nuptias et partus pertinent, restat, ut exponatur de caerimoiis funebribus.

Persuasum fuisse Romanis animum esse immortalem jam inde apparet, quod manes sive mortuorum animos religiose

colebant. Ut vero omnia posteriore aetate eversa esse invenimus, sic etiam ista opinio tum labefactata erat; nam scripsit Juvenalis II, 149 sqq.:

„Esse aliquid manes et subterranea regna
Et contum et Stygio ranas in gurgite nigras
Atque una transire vadum tot millia cymba,
Nec pueri credunt, nisi qui nondum aere lavantur.“

Nihilo secius Juvenalis aetate nummos in ora mortuorum tamquam naulum Charonti destinatum inserere Romanos esse solitos invenimus; sic apud Juvenalem III, 265 sqq.:

„Jam sedet in ripa tetrumque novicius horret
Porthmea, nec sperat coenosi gurgitis alnum
Infelix, nec habet quem porrigat ore trientem.“

Quod factum esse multi quidem negant, sic praeter alios Beckerus in Gallo, sed injuria. Nam praeter veteres scriptores [1] claro argumento sunt nummi, qui saepe in sepulcris ex illis temporibus in nostram aetatem servatis, quin etiam in ipsis defunctorum oribus inveniuntur.[2] Num vero etiam liberae reipublicae temporibus mos ille nummorum mortuis addendorum apud Romanos fuerit, incertum est, quum nullo testimonio id confirmetur.

De singulis ritibus ut exponamus, mortuus, quum, uti veteres scriptores docent, esset lavatus et unguentis delibutus, veste ferali ornabatur, ac civis quidem toga, quippe vestimento honoratissimo; id enim planum fit ex III, 171 sq:

„Pars magna Italiae est, si verum admittimus, in qua
Nemo togam sumit nisi mortuus.“

---

[1] Prop. IV, 11. 7. cf. etiam Schol. ad h. l.: „Nummum, stipem. Et nunc apud Athenienses mortuis solent in ore nummum immittere, ut apud inferos non tamquam inopes errent; unde naulum Charon accipere solebat, ut Virgilius (VI, 323):

„Haec omnis, quam cernis, inops inhumataque turba est.“

[2] Seyfertus, de nummis in ore defunctorum repertis. Ficoroni: La Bolla d'oro Roma 1723. p. 43: ne' lati sotto il pavimento e per lo più fuori all' intorno di esse camere vi erano cadaveri intieri di gente ordinaria, ricoperti da tegoloni composti a quisa di casuppole e nelle loro bocche tra li denti, avevano medaglie di bronzo mezzane de' primi Imperatori.

unde simul apparet, hunc morem per totam valuisse Italiam.[1]

Moris quoque fuisse videtur, ignem in foco domus funestae in certum tempus exstinguere; id enim significari puto verbis, quae exstant II, 214:

„Tunc odimus ignem."[2]

Totum funus plerumque redemptoribus funerum, qui e Venere Libitina, quam funerum deam apud Romanos fuisse XII, 122 docet, libitinarii vocabantur, curandum tradebatur; cf. III, 31 sq.

Efferebatur autem lectus, in quo mortuus jacebat, plerumque a filiis aut familiaribus, ut apparet ex X, 259:

„Hectore funus
Portante ac reliquis fratrum cervicibus inter
Iliadum lacrimas."

quo loco Troicum quidem morem poëta attingit, attamen apud Romanos eundem valuisse ex aliis scriptoribus intelligimus.[3]

Cognati et amici defuncti exsequias prosequebantur, quo spectant X, 240 sq.:

„Ut vigeant sensus animi, ducenda tamen sunt
Funera natorum."

et I, 146:

„Ducitur iratis plaudendum funus amicis."

Atque omnes quidem funeris comites vestibus nigris erant induti; nam hunc fuisse cultum lugubrem testantur III, 212 sq.:

„Si magna Asturici cecidit domus; horrida mater,
Pullati proceres, differt vadimonia praetor."

et X, 244 sq.:

„Multis in luctibus inque
Perpetuo maerore et nigra veste senescant."

---

[1] Liv. XXXIV, 7.

[2] Mart. X, 47.

[3] Plin. VII, 44. XVIII, 3. Suet. Aug. 100. Val. Max. VII, 1, 1. Serv. ad Aen. VI, 222. Vellej. I, 11, 7.

Jam quod attinet ad ipsam sepulturam, duas rationes sepeliendi apud Romanos fuisse invenimus: concremabantur enim mortui aut humabantur. Priorem fuisse humandi morem Plinius VII, 54, §. 187 memoriae tradidit: „Ipsum, inquit, cremare apud Romanos non fuit veteris instituti; terra condebantur. At postquam longinquis bellis obrutos erui cognovere, tunc institutum. Et tamen multae familiae priscos servavere ritus, sicut in Cornelia nemo ante Sullam dictatorem traditur crematus, idque eum voluisse veritum talionem, eruto C. Marii cadavere." Juvenalis vero aetate mortuos concremare magis in consuetudine fuisse inde colligimus, quod ex locis illis, quibus poëta funerum facit mentionem, X, 171 sq. tantum ad humandi rationem spectant:

„Quum tamen a figulis munitam intraverit urbem
Sarcophago contentus erit."

Omnibus temporibus qui infantes erant mortui humati esse videntur; respexit enim eo Juvenalis XV, 138 sqq.:

„Quum funus adultae
Virginis occurrit, vel terra clauditur infans
Et minor igne rogi."

unde non abhorrent quae Plinius scripsit VII, 16, 15: „Hominem priusquam genito dente cremari, mos gentium non est."

Quum rogus incendio esset deletus, cineres in urna collecti sepulcro condebantur;[1] scripsit enim poëta X, 241 sq.:

„Rogus adspiciendus amatae
Conjugis et fratris plenaeque sororibus urnae."

et X, 142:

„Patriam tamen obruit olim
Gloria paucorum et laudis titulique cupido
Haesuri saxis cinerum custodibus."

quo loco simul mentio infertur moris, memoriam mortuorum titulis in saxis tumulorum incisis conservare. cf. etiam VI, 230.

Ceterum magna vis odorum et aromatum in mortuis sepeliendis adhibebatur; sic legimus IV, 109:

---

[1] Schol. ad X, 242: „Urnae, vasa, in quibus mortuorum ossa componebantur, postquam corpus arsisset.

„Quantum vix redolent duo funera."

Veteres et Graeci et Romani quum putarent animam mortuorum in ipsis sepulcris aliquantulum versari ipsaque molis pondere affici, defunctis, quibus bene volebant, precabantur, ut terra esset levis, simulque ver optabant perpetuum tumulis, eoque frui perpetuo manes bonorum credebant; itaque Juvenalis VII, 207:

„Di majorum umbris tenuem et sine pondere terram
Spirantesque crocos et in urna perpetuum ver."

Sepulcra Romani ante portas urbis ad vias frequentes, velut ad vias Latinam et Flaminiam exstruere solebant, hoc certe consilio, ut monumenta in iis constituta oculos hominum praetereuntium in se converterent et tali modo mortuorum memoria servaretur. cf. I, 170. V, 55. VIII, 146.

Denique non praetermittenda est cena feralis, qua diis manibus sacrificium fiebat, quamque ex ovis, quippe quae in lustrationibus adhiberentur, ut elucet ex VI, 518, et pisciculis constitisse Juvenalis testatur V, 84 sq.:

„Sed tibi dimidio constrictus cammarus ovo
Ponitur exigua ferali cena patella."

Sed haec hactenus. Cetera, quae scripta habeo de aedibus, supellectile, vestibus atque ornamentis, balneis, cenis atque conviviis fortasse alio loco dabuntur.

Gustavus Lehmann de vita sua.

Natus sum a. d. IV. Cal. Oct. anni MDCCCXLII. Numburgi patre Christiano, matre Henrietta e gente Haessel, quos quod adhuc superstites colo laetor. Fidem profiteor evangelicam. Litterarum elementis imbutus undecimo vitae anno receptus sum in gymnasium patriae urbis, quod adhuc Foertschio rectore floret. Unde maturitatis testimonio instructus vere anni MDCCCLXIII adii universitatem Halensem studiis litterarum antiquarum operam daturus. Itaque per quinque semestria scholis interfui vv. ill. Bergk, Bernhardy, Pott, Conze, Zacher, Hertzberg, Erdmann, Schaller, Haym, nec non seminarii regis philologi et societatis philologae, cui praeest v. d. Bergk, sodalis fui et exercitationibus archeologicis, quibus moderatur v. d. Conze, interfui. Halis Lipsiam me contuli ibique per duo semestria praeceptoribus usus sum vv. ill. Ritschl, Masius, Zarnke. Quibus viris omnibus optime de me meritis gratias quam maximas ago.

Sententiae controversae.

I. Vitas, quae sub Nepotis nomine feruntur, ab ipso Cornelio Nepote Catulli amico scriptas esse probo.

II. Dialogum de oratoribus Tacito abjudico.

III. Aesch. Sept. 469. codicum lectionem:
„Ἱππομέδοντος σχῆμα καὶ μέγας τύπος."
retineo.

IV. Clientes antiquissimis temporibus non eosdem fuisse ac plebejos.

V. Falso Niebuhrius contendit Q. Curtium Rufum Severo imperante vixisse.

Numburgi a. S., Typis expressit G. Pätz.


LIBRARY OF CONGRESS
0 003 091 151 9


